EPISTOLA CRITICA

DE DUOBUS POETARUM VETERUM LOCIS

ALTERO: SILII ITALICI PUNICORUM
L. XIII, 531-561

ALTERO: PINDARI OLYMPIC.
II, 96-149.

QVAM

DISSERTATIONIS LOCO

PRO STIPENDIO COLLEGII MEDICEI

CONSCRIPSIT

P. O. BRÖNDSTED,

CAND. THEOL.

HAFNIÆ, MDCCCV.

EXCUDEBAT ANDREAS SEIDELIN.

P. O. BRÖNDSTED. G. KOESIO SUO.

S.

O! qvam egregie sapiunt qvi omnia & singula a poetis Romanis, anno CC p. C antiqvioribus, profecta, pulcra, venusta, classica existimant atqve collaudant!

Nosti me per certam qvandam regionem fabulosi Veterum regni, eamqve non pessimam sane, imo nescio an omnium maxime consitam lectissimis floribus & prospectuum lætissimorum divitem, pedestri itinere nuper esse profectum. Bonam viæ partem permensus, cum die qvodam nunc huc oberro nunc illuc, & floribus, qvibus undiqve scatebat lætissima regio, legendis unice intentus in diverticula, nescio qvæ, incuriosus deflecto — — ecce mihi subito oblatus barbiti acrius strepentis clangor, & qvi audaciora qvidem,

non dulcia, modulamina comitabatur fœmineus cantus! Attonitus stupeo, attendo, unde veniat sonus. Locum percepisse mihi visus accelero gressus, sed adcurrentem fugit, qvasi per fascinum, cantus. Spe frustratus, viribusqve exhaustus ad fontem devenio, cujus limpidæ aqvæ sitim ardentem pellere, & jucunda murmura dormire jubebant. Bibo, decumbo, obdormio. Dormienti propior visus est cantus, duæqve species oblatæ, qvarum altera mascula, celsa, & armis cincta, Scipioni illi Africano persimilis, attente audiebat alteram fœmineam (qvam vatem arguebant infulæ sacræ & vestis sacerdotalis) canentem. — En! qvæ decantatorum fidelis servavit memoria:

— — —

Cingunt regna decem portæ: qvarum una receptat
Belligeros, dura Gradivi sorte creatos.
Altera, qvi leges posuere atqve inclita jura
Gentibus, & primas fundarunt mœnibus urbes
Tertia ruricolas, Cereris justissima turba
Qvæ venit ad manes, & fraudum illæsa veneno.
Exin, qvi lætas artes vitæqve colendæ
Invenere viam, nec dedignanda parenti
Carmina fuderunt Phœbo, sua limina servant.
Proxima, qvos venti sævæqve hausere procellæ

Naufraga porta rapit; sic illam nomine dicunt.
Finitima huic, noxa gravido & peccasse fatenti,
Vasta patet populo. Pœnas Rhadamanthus in ipso
Expetit introitu, mortemqve exercet inanem.
Septima femineis reseratur porta catervis,
Humentes ubi casta fovet Proserpina lucos.
Infantum hinc gregibus, versasqve ad funera tædas
Passis virginibus, turbæqve in limine lucis
Est iter exstinctæ, & vagitu janua nota.
Tum, seducta loco, & laxata lucida nocte,
Claustra nitent, qvæ secreti per limitis umbram
Elyseos ducunt campos. Hic turba piorum,
Nec Stygio in regno, caeli nec posta sub axe.
Verum, ultra Oceanum sacro contermina fonti,
Lethæos potat latices, oblivia mentis.
Extrema hinc, auro fulgens, jam lucis honorem
Sentit, & admato splendet ceu sidere lunæ.
Hac animæ caelum repetunt; ac mille peractis,
Oblitæ Ditem redeunt in corpora, lustris.
Has passim nigrum pandens Mors lurida rictum
Itqve reditqve vias, & portis omnibus errat.

Nesciebam somno excussus qvorsum referrem horribiles versus, qvi adhuc auribus intonabant. Videbam qvidem similitudinem aliqvam fictionum cum ingente qvadam pictura, qvæ ut notis-

sima ita mihi & cultori Latinarum Musarum cuivis carissima est. Nimia vero hic fusa umbra impediebat, qvo minus certi aliqvid dignoscere potuissem. Succurrebat tamen: Seculorum II & IIItii poetas Romanos sextum Æneidos librum certatim adiisse fontem, unde peterent infernorum suorum, qvæ demum fingerent, colores, imagines, phantasmata. Porro suspicionem movebat species illa Africano simillima. Insidebat firmissime in animo mira pictura. Vix redux evolvo *Punica Silii* — & ecce, qvod peto hic est — *Punicor. l. XIII*, 531 *sqq.*

Sed missis fabellis (vereor enim, ne, nisi figmenta omittam, ipistolam meam, cui honestum *Criticæ* nomen imposui, *fabulosam* dicas) de hoc loco paulo accuratius videamus, qvod eqvidem exemplum habeo luculentissimum veritatis istius, millibus aliis, ex antiqva pariter ac recentissima ætate petitis, satis superqve firmatæ: splendididissimum opus poeticum elegantissimasqve fictiones sub manibus imitatoris mediocris ingenii & sensus obtusioris semper sordere, & in fictionum, nescio qvarum, portenta male converti.

Ad exemplum Virgilii inferna regna sua in certas partes, commorationes diversas, qvarum qvæqve suos incolas habet, divisit. Bene hoc. Ne tamen variare haud posse bonus Silius videretur, cinxit omnia *decem portis* — qvæ jam tenuis ad-

modum fictio est. Sed videamus de singulis, qvi per singulas portas mittuntur, domicilium videlicet intus nacturi: *Prima* itaqve recipit bello bonos; *altera* legislatores, urbium conditores, aliosqve pacis studiis claros; *tertia* ruricolas "Cereris justissimam turbam;" *qvarta* artium inventores &, qvi Deo pleni cecinerant, vates; *qvinta* naufragos; *sexta* impios (Rhadamanthus ipse Furiarum hic munere fungitur; — honesto viro præmium justitiæ haud invideo); *septima* fœminas, qvas docemur *humentes*, qvi intus sunt, *Proserpinœ lucos* sedes habituras; *octava* infantes præcoci fato abreptos; *nona* mittit ad Elysios campos, piorum sedes; *decima* tandem auro fulgens, luci vicina est; per eam mittuntur animæ, post mille lustra peracta, in corpora iterum revertentes.

Inspicienti mihi Silianam picturam omnem qvæstiunculæ multæ succurrunt v. c. cur demum sanctos vates, qvi "*haud dedignanda parenti Phoebo carmina fuderant*" ab Elysii gaudiis excluserit bonus poëta? — in mentem venit: nostrum fortassis horum omnium commorationem ορχήςριον qvasi inferorum esse imaginatum. Meliora nosmet edoceant magistri egregii, de qvibus ab initio dixi. — Cur naufragis suam sedem a ceteris distinctam assignaverit? qvidni cum infantibus præcoci morte abreptis, certum apud inferos

locum assignare vellet, venustam de his antecessoris fictionem secutus sit? qvorsum omnino illa in singulis *civium classibus* per *diversa* apud inferos commorandi loca dispertiendis accuratio, qvam tenuis admodum judicii esse censeo, evanescente sic omni, ut facile patet, inferorum τυραννιδος picturæ *totius* decore? & s. p. — Verum enim vero nolo nunc durior esse poëtæ. Præcedentibus missis pergo ad v. 550 sqq. ad qvos qvidem I. C. T. Ernestius bona fide narrat: "Elysios campos non cum Virgilio sub terra, sed cum Homero & Hesiodo ad Oceanum occidentalem in insulis fortunatis ponit" — ecce fictionis portentum! cujus tamen non accuso interpretem, sed enim ipsum vatem. Re ipsa enim videntur menti hominis obversatæ esse antiqvissimæ mythi picturæ, qvæ vero egregie faciunt ad turbandum magis locum, cetera satis turbatum. Scilicet explicet mihi aliqvis, qva demum ratione "turbam piorum (ad qvam, qvod bene notes velim, mittit infernalium portarum una) ultra Oceanum sacro conterminam fonti (qvem *Limam* videlicet esse Lusitaniæ fluvium qvi in Oceanum influit, nos certos facit Ernestius) nec Stygio in regno cœli nec positam sub axe," cum omni hujus loci tenore, & multo magis cum 397 sqq. de aditu regni inferni, qvem Virgilium secutus in *Italia* finxit poëta, conjungam conciliemqve — —? Forte stupor meus in causa

est, cur qvæ aliis v. c. Ernestio levia faciliaqve visa sunt, mihi confusa adeo & stribliginis plena videantur. Imo sponte fateor me in nonnullis Silii, sæpius qvamvis perlectis, adhucdum hærere; Sed idem ego nescio, qvid tandem in causa sit, cur qvoties inferna regna Virgiliana cogito, pellucida phantasiæ obversetur imago; qvoties ex altera parte imitamen Silii mente comprehendere conor, in umbra & tenebris densis cæcutiam. —— Per fascinum, puto, mihi videor audire, qvæ Iovem disputare facit Lucianus meus*): — *οἱ ποιηται οποσα μεν αν εκ των Μουσων κατεχομενοι ἀδουσιν, αληθη ταυτα εϛιν. ὁποταν δε αφωσιν αυτους ἁι θεαι και κατ' αυτους ποιῶσι, τοτε δε και σφαλλονται, και υπεναντια τοις προτερον διεξερχονται.*

A *Silio* ad *Pindarum* ingens profecto saltus est, nec nego mihimetipsi caput parumper gyrari. Interea, cum noverim Te Pindarum non unum e multis, sed prope singularem colere & venerari, qvin novæ lucis, splendido cuidam Pindari loco suffundendæ non nihil, qvod amico tuo debebis inventum, hic tecum communicem, non me contineo. Vertigini autem cavebo (noli

*) in *Iove confutato* II. (Tom. VI. p. 203 edit. Bipont.)

sollicitus esse). Siliana humilitate relicta, fastigium illud Pindarium per diverticula qvædam — ne *avia* dicas magnopere intercedo — cauti scandemus.

Nosti in tenuibus satis antiqvissimorum Græciæ vatum de animarum post fata corporis statu ac conditione fictionibus (qvibus excutiendis nunc non vacat) haud ita diu substitisse ingenia subtiliora, præsertim cum in naturæ contemplatione & studio magis in dies magisqve defigeretur sagacissimus qvisqve Græcorum. Omnino istuc deductus sum antiqvissimorum Hellados philosophorum (qvos Pythagoræ modestia dixit) placita, non sine molestia passim, investigando, ut intellexerim: naturæ ipsius contemplationem & studium (fœcundam alias, & fere nescio an uberrimam veri cujuscunqve generis matrem) nisi prævias habeat multas, e mathesi præsertim & Physicis petendas, notitias, apud vividiora ingenia in phantasiam potius, qvam in rationem agere, & ad qvævis audenda ducere vel abripere potius & impellere debere. Hinc placita tot mira vetuftissimæ Græcæ ætatis, deliria, somnia mihi interpretor; hinc conaminum a sapientibus prisci ævi profectorum multa stupenda adeo, ingentia, vasta. Hinc v. c. istæ de anima mundi, per universam rerum naturam diffusa; de animis ingenti numinis igni

abreptis scintillulis*) cum eo iterum aliqvando jungendis —; de æthere subtiliore, numine ipso &c. ideæ, qvas cave, ne ad Platonem & Timæum Locrensem autores deferas omnes; multa enim & minime dubia latent in antiqvioribus longe earum vestigia, qvæ demum luculentissima fuissent, si antiqviorum aliqvis majoris ingenii & critici magis studii vir, qvam qvidem erat Diogenes Laertius, vetustissimorum Græciæ σοφων vitas sibi describendas sumsisset, aut scripta, qvalia v. c. de vita Pythagoræ ab Aristoxene & Hermippa composita ab antiqvis accepimus, tempus tulissent.

Hæc intime sentiebam cum in placita vere Pythagorica sollicitius nuper inqvirerem. Etsi enim Timæum Platonis & Hieroclem, interpretem Pythagoreismi, habemus, tantum tamen abest, ut, si de dogmatibus pure Pythagoricis qvæstio sit, bene multa ad liqvidum perducta poteris recte habere, ut potius ad qvæstionem qvid tandem qvantumqve ipsi debeatur Pythagoræ, in qvam plurimis te adhuc cœcutire candidus confiteri debeas. Ita omnia, vetustissima adeo, qvæ scripta habemus testimonia, de Pythagora & an-

*) "Audiebam Pythagoram Pythagoreosqve, incolas pæne nostras, qvi essent Italici Philosophi qvondam nominati, nunqvam dubitasse, qvin ex universa mente divina delibatos animos haberemus." Cato apud Ciceronem in Cat. Maj. C. 21.

tiqvissimis Italicæ scholæ discipulis, sapiunt Platonicismum. Et si vel *aurea dicta* ad Lysidem aliumve alumnorum Italicæ scolæ primorum referas autorem — qvid inde? — præcepta egregia habes moralia, qvæ ad vitam qvoqve tuam cum fructu transferre poteris; placitorum Pythagoræ metaphysicorum, qvæ vocant, æqve ignarus ab eorum lectione abcedes.

Nihilo tamen secius in cosmogonicis vetustissimorum philosophorum Græcorum opinionibus excutiendis de industria nuper versatus, cum autores invicem conferrem, in nonnulla incidi, qvæ excellenti Pythagoræ ingenio deberi existimare me coëgerunt idoneæ satis autoritates, qvæ, qvantum qvidem ad rem præsentem pertineant, tecum, mi Georgi, communicabo:

Pherecydem Syrum primum (philosophorum nempe Græcorum) dixisse animos hominum esse sempiternos, Cicero autor est*); eo doctore Pythagoram usum Cicero**) & recentiorum nonnulli, nescio qva autoritate dixerunt. De eo nunc non ambigimus. Certum est: doctrinâ de animæ immortalitate ceu fundo superstructum fuisse philosophiam Pythagoricam omnem. *Æter-*

*) Tuscul. Qvæst. 1, c. 16.

**) l. c.

no motu & vi restringi aut coerceri nescia ab initio inde agitari ætherem, per vastam rerum naturam diffusum, purissimum, calidum, igneum, placuit Italicæ scolæ. Omnia & singula, qvæ in hoc æthere volvuntur atqve rotantur, corpora coelestia omnia, solem, lunam & astra æqve esse æterna, immortalia, divina. Neqve ad superas regiones ætherem hunc immortalem restringi, sed terrenam qvoqve naturam omnem permeare, ita tamen, ut haud ubivis reperiatur eâdem mensura diffusus. In parte istius ætheris ad terram delapsa esse omnis vitæ fontem (principium vitæ dicunt) animalium pariter ac plantarum, ejusqve adeo avulsas tantum particulas (αποσπαςματα) esse animas humanas.)*

Vastam stupeas antiqvissimi hominis mente conceptam ideam! accipe nunc alterum dogma magnum, cum re nostra arctissime junctum: *in hominis morte, corpus qvidem materia crassiore consistens dissolvi, in pulverem collabi, perire; animam vero (ειδωλον, ψυχην) partem qvippe ætheris sempiterni, vivere superstitem, εις Αιδα migrare, &, si corporis irretita vinculis sensuum illecebris & vitiositati fortiter restitisset**) post varias pur-*

*) cf., si placet, Orphei, qvi vulgo fertur, Hymnum IV in Ætherem.

**) jucundum erit conferre hac de re ideas in Platonis Phædone obvias & luculentas.

gationes), qvibus mille annorum κυκλον deinceps constituêre Platonici, ex fato denuo ad auras superas emergere, novi (h. e. alius) corporis terreni incolam futuram; migrationibus demum variis, pluribus, paucioribus, pro criminis oontracti & "corporearum pestium" (ut cum Virgilio dicam) ratione, perfunctam, hisqve perfecte purgatam uniri tandem cum numine, cui olim erat avulsa, cum corpori primo immergeretur, & beatissima frui in posterum sorte.*

Vides hic prima vestigia inter Græcos μετεμψυχωσεως doctrinæ, qvam ab Ægypto advectam diserte asserit Herodotus, subjiciens: "se bene nosse homines Græcos sui temporis huic doctrinæ addictos" qvos tamen nominare recusat**); qvam-

*) qvas qvales finxerint Antiqvissimi non liqvet. De Platonicis autem nunc non agimus. Consulas autem poëtæ Romani doctissimi de hisce fictiones ad Platonica maxime compositas. Æneid. VI, 737 sqq.

**) l. II, c. 123. Verba autem valde notabilia adposuimus: — — πρῶτοι δε και τονδε τον λογον Αιγυπτιοι εισι ὁι ειποντες, ὡς ανθρωπȣ ψυχη αθανατος εςι. του σωματὸς δε καταφθινοντος, ες αλλο ζωον αιει γινομενον εσδυεται. επεαν δε περιελθη παντα τα χερσαια και τα θαλασσια και τα πετεινα, αυτις ες ανθρωπȣ σῶμα γινομενον εσδυνειν. την περιηλυσιν δε ἁυτῇ γινεσθαι εν τρισχιλιοισι ετεσι. τουτῳ τῷ λογῳ εισι ὁι Ελλήνων εχρησαντο, ὁι μεν, προτερον,

qve deincepsPlatonici inprimis opinionum millibus auxerunt amplius atqve adornaverunt. Animadvertas autem simul hancce doctrinam, qvalis a primo inter Græcos autore, scholæ puto Italicæ patre, traditam accepimus, cum moralibus arctissime junctam: Statuebat nimirum Pythagoras animas hominum, qvi cupiditatibus *crasse corporeis* (ita enim dicere amant philosophi Græci) indulserant, scelerum criminumqve mancipia, difficillime lustrari, nimis qvippe infectas pestis corporeæ contagione, eas autem, qvarum pravitas plane insanabilis, ab Orco emissas in corpora detrudi animalium talium, qvæ iisdem, qvibus ipsæ, dum corpora inhabitabant humana, indulserant, neqvitiis impuris fœdisqve addicta videantur; latronis v. c. animam immigrare dein ursi, aqvilæ, aliusve feræ rapacis corpus; lascivi & salacitati dediti: suis — & s. p. *)

οἱ δε, ὑςερον, ὡς ιδιῳ ἑωϋτῶν ἐοντι. τῶν εγω ειδως τα ȣνοματα, ὁυ γραφω.

*) Dogma videas hoc qvoqve nomine apud Platonem Socratica autoritate munitum in Phædone. — — *ενδȣνται δε, ωςπερ εικος, εις τα τοιαυτα ηϑη, ὁποια ἀττ' αν και μεμελετηκυιαι τυχωσιν εν τω βιω. — τα ποια δε ταυτα λεγεις, ω Σωκρατες; — ὁιον τȣς μεν γαςριμαργιας τε και ὑβρεις, και φιλοτησιας, μεμελετηκοτας, και μη διευλαβη-*

Est qvod mireris Gnomicorum, qvi dicuntur poëtarum (qvorum pleriqve circa hæc tempora floruere) neminem hanc doctrinam amplexum in morales convertisse usus, cum tamen magna ejus (uti facile vides) esse potuisset vis & efficacia ad hominum animos ad honestatem flectendos, & a vitiis ab altera parte deterrendas. Sed enim ne certa qvidem vestigia (qvod magis adhuc mireris) præmiorum, qvibus in altera vita cumularentur nobiles mortui, virtutis cultoribus addictorum; imo nulla prorsus invenies apud Gnomicos ab Elysii gaudiis deducta incitamenta; etsi respectu habito ad incitamenta gnomicis adhibita, eorum disciplinam morum vix dixeris sensu Kantiano *puram*.

Definiri qvidem accurate neqvit, qvanta fuerit disciplinæ Pythagoreæ *in vulgum* autoritas, aut qvanta ejus ad opiniones hominum communes vis atqve potestas. Videtur tamen extra umbram scholæ haud adeo late dimanasse, antiqviori saltem ætate, cum Herodotus l. c. recusans nomina,

μενας, εις τα των ονων γενη, και των τοιουτων θηριων, εικος ενδυεσθαι. η ουκ οιει; — πανυ μεν ȣν εικος λεγεις — τȣς δε γε αδικιας τε, και τυραννιδας και ἁρπαγας, προτετιμηκοτας, εις τα των λυκων τε, και ἱερακων και ικτινων, γενη.

κ. τ. λ.

qvamvis noverit, afferre eorum, qvi placitis istis de animarum migrationibus inter Græcos suæ ætatis erant addicti, suspicionem aliqvam nobis debeat movere: *hoc dogma tunc temporis hæreticis, a qvibus publica abhorruerit fides, fuisse adscriptum.* (Seriori vero & Postplatonica ætate μετεμψυχώσεως opiniones inter Græcos pervulgatas reperies). Id vero non offecit, qvo minus ductus Pythagorici in loca sua apud Lyricos, qvorum Pindarus maxime Pythagorica placita apperte secutus est, immigraverint. Ita v. c. factum est in egregio illo, (cui hactenus prælusimus) loco, qvi est apud Pindarum *Olymp. II*, 96-149.

Ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς
Δεδαιδαλμένος
Φέρει τῶν τε καὶ τῶν
Καιρὸν, βαθεῖαν ὑπέχων
Μέριμναν ἀγροτέραν,
Ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἀλαθινὸν
Ἀνδρὶ φέγγος. εἰ δέ μιν ἔχει
Τις, οἶδεν τὸ μέλλον,
Ὅτι θανόντων μὲν ἐν-
  θάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες
Ποινὰς ἔτισαν. τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ

Ἀλιτρὰ, κατὰ γᾶς δικά-
ζει τις, ἐχθρᾷ λόγον φράσας ἀνάγκᾳ.
Ἶσον δὲ νύκτεσσιν αἰεὶ,
Ἶσα δ' ἐν ἁμέραις ἅλι-
ον ἔχοντες, ἀπονέστερον
Ἐσθλοὶ νέμονται βίο-
τον, οὐ χθόνα ταράσσον-
τες ἀλκᾷ χερῶν,
Οὐδὲ πόντιον ὕδωρ,
Κεινὰν παρὰ δίαιταν· ἀλ-
λὰ παρὰ μὲν τιμίοις
Θεῶν, οἵτινες ἔχαι-
ρον εὐορκίαις,
Ἄδακρυν νέμονται
Αἰῶνα. τοὶ δ' ἀπροσόρα-
τον ὀκχέοντι πόνον.
Ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐς τρὶς
Ἑκατέρωθι μείναντες
Ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
Ψυχὰν, ἔτειλαν Διός
Ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρ-
σιν· ἔνθα μακάρων
Νᾶσον ὠκεανίδες

Αὖραι περιπνέουτιν· ἄν-
 θεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
Τὰ μὲν χερσόθεν, ἀπ' ἀ-
 γλαῶν δενδρέων,
Ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει·
Ὅρμοισι τῶν χέρας ἀνα-
 πλέκοντι καὶ στεφάνοις·
Βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδαμάνθυος
Ὃν πατὴρ ἔχει Κρόνος ἕτοι-
 μον αὐτῷ πάρεδρον,
Πόσις ὁ πάντων Ῥέας
Ὑπερτατον ἐχοίσας θρόνον.
Πηλεύς τε καὶ Κάδμος ἐν τοῖσιν ἀλέγονται·
Ἀχιλλέα τ' ἔνεικ', ἐπεὶ
Ζηνὸς ἦτορ λιταῖς ἔπεισε, μάτηρ·
Ὃς Ἕκτορ' ἔσφαλε, Τροίας
Ἄμαχον ἀστραβῆ κίο-
 να· Κύκνον τε θανάτῳ πόρεν·
Ἀοῦς τε παῖδ' Αἰθίο-
 πα — — —

Accuratiori loci explicationi supersedere hic facile possem; qvippe nunc non ago, ut bene cupiam faciliori ejus apud tirones intelligentiæ; cum Te, carissime amice, Græcis literis innutrito, mihi

[redacted]

unice res est. Intera tamen cum versiones Pindari pleræqve omnes latinæ, ne Heyniana qvidem excepta, displiceant, periculum faciam transferendi locum latine:

— — "Opulentia, virtutum ornata consortio multa hic audendi & illic opportunitatem largitur*) sitimqve pellit acerrimam vasta qvævis suscipiendi facinora**). — Sidus hoc viro nobili splendens, lumen haud fallax***), qvam si

*) Notes: certamina Olympica absqve sumtibus magnis non potuisse iniri. Hinc sæpius excurrit divinus vates in laudes divitiarum, qvæ apportunitates egregia multa conandi nobili possessori suggerunt. At qvorsum hæc! ignoscas obliviscenti me Tibi scribere, qvi tantam cum Pindaro familiaritatem contraxisti.

**) Sensum habeo eundem, qvi in præcedentibus erat: "Opulenita — — — — largitur" meqve mentem vatis assecutum confido.

***) Vertunt: "Sidus insigne, verum homini lumen," intelligat sagax haruspex! *αστηρ αριζηλος, ὁ μετα αρετης πλουτος, ὡς αςηρ εςι εκδηλος, αληθινον φως τοις ανθρωποις.* Vetus scholion recte. Epiphonema vatis est ad opulentiam, qvam *viro nobili* (ita centies est in Pindaricis *ανηρ* — qvo fit tandem modo, dic mihi

qvis tenet, novit is futurum, ut mortuorum illic dent illico pœnas impiæ mentes. Namqve in hoc Iovis regno impie facta, sub terra judicat aliqvis invisa exercens judicia necessitate. — Eodem vero per noctes perqve dies eodem sole fruentibus*) vita piis delabitur curis exemtá; non terræ robore manuum, nec fluctibus maris inanem victum extorqvent. Sed cum Deorum amicis, qvot-

qvæso, ut talia Heynium magnum sæpius fallant? —) ductorem dicit & comitem optimum ad egregie facta ("sidus corruscans & lumen haud fallax; fallax autem est injusto & impio — qvam vere hoc!) comparatione a nauta & viatore, qvibus splendent sidus & lumen, viæ qvasi duces, desumta — sensus idem est, qvi Pyth. V. *πλουτος αρετᾶ κεκραμενος, ευρυσθενης.*

*) *Lucem* felicitatis, lætæ fortunæ, *tenebras* ex altera parte miseriæ, tristioris sortis imaginem Græcis freqventari tralatitium est. In hujus figuræ, ut in aliarum complurium usu magna est diversorum populornm consensio. Caligo, tenebræ (*σκοτος* — Hebræor: חשך, אפל, צלמה) qvoties in Vetere & Novo fœdere miseriam e perversa statuendi agendiqve ratione, malis moribus, profanorum numinum cultu, impietate & s. p. exortam significandam transferuntur. Lumen ex altera parte

qvat studuere virtuti*) vitam agunt lacrymis carentem. Illi vero aspectu horrendas tolerant ærumnas. — Qvotqvot autem sustinuerunt ter utrobiqve degentes ab omni neqvitiæ labe purum servare animum, hi Iovis iter ad Saturni arcem perfecerunt. Hic insulam beatorum Oceanitides auræ perspirant, floresqve aurei fulgent, humo arboribus dulcibus hi propullulantes, alios aqva nutrit; unde monilibus brachia implicant atqve coronis. — Sic tulerunt justa Rhadamenthi decreta, qvem pater habet Saturnus promtum sibi assidentem, maritus Rheæ, omnium supremam sedem tenentis**). Peleus hic Cadmusqve coluntur, & Achillem adduxit, postqvam Iovis flexerat præcordia precibus, mater — qvi Hectorem prostravit, firmam Trojæ & inconcussam columnam, Cycnum letho dedit, Auroræqve filium Aethiopem. — —"

Pythagorica splendido hoc loco & præsertim 123sqq. expressa plures jam observarunt veteres

in hiscce etiam libris tritissima est felicitatis omnis imago.

*) ευορκια h. l. ut sæpius: pius officiorum omnium cultus, integritas vitæ & sanctitas.

**) matris qvippe deorum.

scholiastæ, qva de re consulenda est egregia Bechii V. C. collectio scholiorum in Pindarum. Verum hæc hactenus. Accuratius nunc colligamus potiores omnes notiones:

Crimina manet horrenda post mortem vindicta (104-108); virtus ex altera parte & pietas lætissimis præmiis cumulabuntur (109 sq.). Hæc vero sunt: in commorationis felicitate, qvæ æterno fruitur sole; qvæ haud invita nec laborantium irrigata sudore edit proventus; in vacuitate a laboribus molestiis & periculis omnibus, qvotqvot ad vitam hanc miseram trahendam subire cogimur & sustinere; in societatis deliciis cum aliis contractæ nobilibus sanctisqve viris, qvi favore deorum & amicitia dignati sunt, curriculum tandem fatale emensi (123-126) sancti ad insulam beatorum mittuntur (126-129) felicissimas omnium sedes, qvarum imperium tenet Saturnus, Rheæ, matris deorum, maritus, adjuncto sibi Rhadamantho, vitæ sanctimoniæ virtutisqve vindice ac remuneratore justissimo. Pelei hic, Cadmi, Achillis aliorumqve, qvi imperii justitia, vitæ sanctitate, rerumqve gestarum fama inclaruere, heroum consortio fruuntur beati.

Vides hic mythum de felicibus piorum post

mortem sedibus, cujus tantum incunabula sunt apud antiqvissimos vates, Homerum & Hesiodum, ad virilem ætatem perductum; sive notiones morales, qvibus hic superstructus est, sive beatarum sedium adumbrationem, descriptionis κοσμου & elegantiam spectes. Haud tamen notionum puritas (si ita dicere licet) colorumqve splendor pretium omne loci constituunt; imo accedit idearum qvarundam novitas & ratio plane singularis. De his paucis dispiciamus.

Artificiosius omnino systema œconomiæ remunerativæ (ut semel cum schola loqvar) summi vatum menti, sapientia Pythagorica pastæ, insedit. Id miror valde interpretes latuisse. Existimarunt nempe *ejusdem loci*, insulæ beatorum videlicet, felicitatem describi primum versb. 109-122 & deinceps v. 128 sqq. qvod menti vatis divini plane est contrarium, repugnante qvippe totius loci tenore & consecutione, qvam dicunt, fictionum. Ne dicam de eo: qvod qvi ita sentiunt, qvomodo justæ interpretationis legibus in "όσοι δ' ετολμασαν ες τρις εκατερωθι μειναντες" sq. explicandis satis facturi sint eqvidem non videam, mira sane foret & indoli atqve naturæ carminis lyrici, e sublimiore isto & audaciore genere, plane repugnans *ab* insula beatorum descripta, per

notiones μετεμψυχώσεως nescio qvas interjectas, *ad* — — insulam beatorum describendam retrogressio. Imo hunc incessum retrogradum, cancrorum vocant, respuit deo plenior vates; nec, si qvis alius poëtarum, Pindarus amat cum sacerdotibus garrientibus *cramben recoqvere.* Rem paucis conficiam: *Locus versh.* 109-122 *describitur a beatorum insula, cujus in seqventibus est adumbratio, plane diversus* juxta hasce notiones vatis, ex indole loci totius atqve tenore perspicuas: Qvi vitam in his terris pie sancteqve egerunt, ad felicem qvidem commorationem post mortem statim transferuntur, *qvæ tamen nondum iis est futura stabile æternumqve domicilium.* Qvippe labes corporea & vitiorum contagio piis manibus adhuc adhæret, qvæ demum post migrationes varias in alia corpora plane tolletur. Hac demum penitus sublata, animæ nunc plane purgatæ ad insulam beatorum mittuntur, qvæ ultima est beatorum sedes, æternaqve habet & omnibus absoluta numeris virtutis perfectæ præmia. Ecce hoc Pindaro plane singulare! Priori isti loco felici, ex qvo emissæ animæ piæ alia corpora occupare jubentur, nec situm qvidem constituit vates nec inddit nomen;sed enim egregie convenit descriptio *campis Elysiis*, qvales seqventibus Græcis poëtis pinguntur;

idem in universum color; ductus persimiles; minimeqve dubium erit attentius paulo legenti divinum vatem, justorum hanc proborumqve commorationem *apud inferos* esse imaginatum, cum impiis pœnam luentibus, qvos κατα γᾶς δικαζει τις εχθρᾷ λογον φρασας ανάγκᾳ hanc statim piorum post mortem felicitatis picturam qvasi ex adverso constituat. *Pindaro itaqve tuo autore Elysii campi plane diversi ab insula beatorum; illi piorum, statim post corporis fata, apud inferos, sedes beata; hœc demum perfecte purorum, migrationibus in alia corpora ab omnibus peccati sordibus lustratorum commoratio beatissima lœtissimaqve.* Hoc primum.

Alterum Pindaro, primo autori*) debitum hoc est: *qvod beatissimi regni imperium teneat Sa-*

*) Nam versus 169 Hesiodi εργ. κ. ημερ. profecto spurius est. Multi eum codices haud agnoscunt; Critici omnes sagaciores νοθειας suspicione notarunt. Maximum vero est qvod ex Iliad. VIII, 479 & Theogon. 851 sq. in hunc versum ducimus argumentum. Mirum sane si Saturnum, qvem a Theogonia impium & sieleratum numen novimus, qvemqve victum ad Tartarum detruserat Jupiter victor, felicibus in beatorum regnis, heroibus imperare finxisset Hesiodus!!

turnus. Causa hujus fictionis videtur in eo qværenda, qvod seculum aureum floruisse in terris Saturno adhuc imperante in cœlo, finxissent Cosmogonici vates antiqvissimi (conf. εϱγ. κ. ἡμεϱ. 111 sq.) — jam cum Lyrici & seqventes poëtæ beatas piorum sedes ad aurei istius seculi similitudinem adumbrarent, aut potius aureum, qvod in terris fuerat, seculum in beatorum regno qvasi denuo efflorescere fingerent, congruum videbatur: hujus qvoqve sceptrum imperiumqve ad aurei in terris olim seculi regem deferre. Placuit deinceps fictio Platonicorum multis, nec defuere inter Latinos poëtas, qvi eam amplexi sunt. Qvod vero Elysios Pindari campos attinet ab insula beatorum diversos, cum e subtiliori disciplina Pythagorica depromtam esse & cum μετεμψυχωσεως placitis arcte cohærere fictionem mihi videar videre, valde dubito eam communi Græcorum fide acceptam aut religionibus publica autoritate munitis (orthodoxas vocant) esse unqvam adscriptam; nec suspicor eam latius, qvam qvidem alia tot sapientum placita, pervulgatam. Magnopere enim erras si pœtarum & philosophorum in hoc mytho aut ceteris fictiones & placita ad vulgum transferas ita, ut ea totidem fuisse opiniones vulgares aut dogmata communi hominum ejus ætatis fide ac persvasione credita existimes. Sane hoc esset

tenuiorem paulo, ut lenissime pronuntiem, crisin adhibere & levem satis animi humani historiæqve gentis nostræ notitiam ad antiqvitatis studium adferre. Scilicet qværere lubet: qvotusqvisqve nostra ætate e medio videlicet vulgi desumtus Cajus aut Sempronius occonomiam Messiadæ, qva nulla carminis esse potest perfectior, fictionum Odæ cujusdam sublimis Klopstockianæ Ramlerianæ aut Evaldianæ finem atqve rationem proprio marte recte intellecturus, aus argumentis Garvii sapientis persvadendus est?? — Neqve mihi objiciat aliqvis nosmet hic legere vatem, cujus ab ore pependit ingens populorum Græciæ corona, qvotqvot ad certamina celeberrima ista undiqve atqve undiqve confluxerant; qvem intuebantur dulce decus suum, ad cujusqve lyræ sonora mascula modulamina pæne incantati stupebant — credibile itaqve esse, hujus (si qvis alius) *publici* (nationalis) vatis carmina, splendida qvæ erant atqve perennia publicæ virtutis præmia, lætitiæ publicæ dulcia ornamenta, religionum, si qvas attingerent, & superstitionum, communi hominum ejus ætatis fide ac persvasione nixarum, imagines fidas referre. — Eqvidem — etsi diversam paulo rationem esse ingeniosissimæ, qvam tulit unqvam terrarum orbis, nationis, ab ea qvæ nostri est vulgi, haud diffitear, nec Græ-

cos nostræ plebis pede ac modulo metiar, hominem tamen, qvi obloqvitur, ità compello: Heus, bone, nonne exemplis unqvam expertus es qvid sit sententia vulgi, qvid flectat eam, qvid regat?? num interna ipsius idoneis rationibus nixa persvasio? an potius peritiorum, prudentiorum, sapientiorum, qvos aspicit vulgus, autoritas? nonne antiqvum illud *"ratio dirigit mundum"* qvid qvantumqve in se habeat veri perpendisti unqvam? nonne præsertim si de operibus ingeniosis (Genieproducter) agatur, qvid calculum deferre jubeat vulgum, sæpius ipse vidisti? — O! veri nominis poëta, qvi fervidiora tantum & ad phantasiam movendam acrius & concutiendam comparata lyram personare cogit, si cantet coronæ populi vividioris, qvi jam ad publicam convenit magnâ freqventiâ festivitatem, cum pectora incalescant facile pandanturqve sponte communi, qvæ undiqve strepitat, hilaritati, accedente nunc dulci Musicæ vi, profecto haud opus habet Musæ in alta surgentis, alas incidere aut ad opiniones vulgi semet cautius demittere, qvo aureo plectro donetur. Scilicet "ratio dirigit mundum": coronam porrigit parvus numerus peritorum, acclamantqve simul undiqve de populo omnes. Hinc deo plenior vates non captat auram popelli sententiolis nescio qvibus, phantasiæ frena liberius

laxat in alta fertur velocior; nec imbecillos respicit, qvibus gyrantur capita — de his enim ejus est cum Pindaro in hoc ipso carmine ingenua & lubens professio:

πολλα μοι ὑπ' αγκω-
νος ὠκεα βέλη
ενδον εντι φαρετρας
φωναντα συνετοισιν· ες
δε το πᾶν, ἑρμηνεων
χατιζει. —

nec curat λαβρȣς παγγλωσσια κορακες ως.

Hæc satis dicta putamus in consvetudinem qvamvis miram, doctis tamen satis vulgarem: qvoties de opinione qvadam aut superstitione qvæstio sit: an certa ætate inter antiqvos viguerit pervulgata, afferendi statim e *poetis* loca, in qvibus cernitur minime dubium philosophema illud de qvo jam agitur, ceu totidem argumenta religionis communi hominum ejus ætatis fide & persvasione receptæ — Qvasi in poëtis legenda esset accurata dogmatum historia!*) — Imo vero in

*) Cavebo ne male intelligar: alia plane ratio est fictionum, qvæ sunt antiqvissimæ ætatis vatum, qvos, tanqvam primos gentium Theologos, reli-

simplicioribus semper vulgus subsistit — neqve si Pythagoricum qvid personat lyra Pindarica, neqve si Platonica exhibet Æneidos sextus, Pindarici ævi Græcos aut Virgiliani Romanos existimes Pythagoricæ aut Platonicæ disciplinæ communi fide addictos. — Facile patet eandem fere in Philosophis esse rationem.

Minime vero hæc ita interpretata velim qvasi in originibus mythorum & progressionibus indagandis versanti nunqvam liceret poëtas adhibere autores. Enimvero sic eqvidem statuo: nullum facile dari nec solutæ nec vinctæ orationis scriptorem, qvi mythum hunc illum tractaverit, ex qvo non aliqvid saltem ad opiniones de mytho ea ætate vulgares atqve sollennes perspiciendas poterit disci. Ita autem existimo: crisin indagantis & sagacitatem nunc cerni debere in eo: ut poëtica phantasmata aut mere philosophica placita secernat ab iis, qvæ communi hominum opinione credita probabiliter opinari liceat, adeoqve, historiæ qvoqve face admota, involucro qvovis remo-

giones & dogmata ipsos formasse notissima res est — alia fictionum poëtarum cultioris ætatis, qvi nempe fuerint certæ cujusdam Philosophicæ scholæ placitis addicti. —

to, nudum mythum exhibeat. — Meæ qvaliscunqve in his criseos periculum aliqvod facturus elegi hunc locum e Pindaro tuo; an feliciter, judices ipse.

Subtiliores itaqve illas (a Pythagora primum autore (de Græcis loqvimur) profectas notiones de animis per varias in corpora alia migrationes demum ita purgandis ut ad beatorum insulæ gaudia admitterentur, tales esse puto, ut vix cadant in captum & intelligentiam vulgi — Accedit: qvod ne volam qvidem aut vestigium detegere liceat hujus opinionis, ætate proxima post Pindarum Olympiadb. circiter 75-94 *vulgaris*, *neqve* in Tragicis neqve in aliis ejusdem ævi scriptoribus, Aristophane Comico & duobus Historicis magnis. Silentii tamen argumenta (qvæ fateor esse sublestiora) haud sola sunt. Adest nobis autoritas Herodoti, qvi cum l. supra cit. mentionem faciat μετεμψυχωσεως doctrinæ ab Ægypto primum profectæ, si hæc vulgaris fuisset ea ætate opinio, nec dixisset: "esse etiam inter Græcos qvi hanc doctrinam profiteantur" nec profitentium nomina, ceu religioni impiæ addictorum, cautus reticuisset. Sententiam vero de præmiis virtutem, de pœnis ex altera parte scelera post mortem manentibus, a majoribus traditam ex antiqvissimo-

rum jam vatum autoritate tenuerunt Græci; cumqve notiones, qvas de felicitate & miseria informent homines, transferant semper ad felicem aut miserum vita functorum statum *) melli esse debuit dulcissima arvorum felicium descriptio: qvæ auris recreantur Oceanitidibus, stragula florum purpurea variaqve tecta sunt, nec laborantis egent sudore qvo lætissimos edant proventus & s. p. — Remotis autem Pythagoricis omnibus de migrationibus animarum ideis tollatur simul necesse est ista de duobus beatorum post mortem

*) Id omnibus fere terrarum orbis populis commune docent humanæ gentis annales. Si qva gens erat ad desidiam, voluptates qvas dicimus crassiores (ignobiles) v. c. gulositatem, rem Veneream & s. p. pronior, in otio beatos post mortem langvere, tempusqve fallere lautis epulis & dulcibus puellis fingebat. Ita v. c. gentes pleræqve omnes Orientales ad otium desidiamqve pro cœli solisqve ratione proclives, beatos post mortem otio frui qvieti indulgentes & somno, nunc & olim existimant. — Hebræi, immortalitatis qvandam notionem in Babylonica captivitate lucrati, vitæ futuræ gaudia in epulis cum gentis suæ parentibus Abrahamo Isaaco & Iacobo, ponebant. — Muhamedæ gynæcea in cœlum transferunt — Grönlandi de balænarum & phocarum captura & ubere ungventi cetacei aucupio somniant & s. p.

commorandi locis opinio; nec dubito, qvæ de Elysiis campis & insula beatorum *locis diversis* cecinit Pindarus, cecinerunt forte alii, fuisse "*ωκεα βελη Φωναντα συνετοῖσιν*, qvæ vero *εις το πᾶν ερμηνεων εχατισε*" adeoqve vulgum utrumqve conflasse in unum lætissimum beatissimumqve commorandi locum, qvem probabiliter admodum & tantum non certo debuerint *apud inferos* esse imaginari & credere, ducente qvippe eo notionum omnium similitudine & qvasi cognatione. Id certe factum est seriori ætate cum accuratius adhuc effictum *τυραννιδος* infernæ systema reperiamus. Neqve nunc heroas unice ad beatarum sedium gaudia admitti, post firmas jam stabilesqve factas regiminum formas, post feritatem morum, qvæ fuerat ætatis heroicæ, mitigatam, post plures & alias intellectas egregii civis virtutes, qvam qvæ in bello tantummodo erant conspicuæ, post omninoqve tantos notionum moralium progressus, erat sane, qvod exspectares. In Pindaro itaqve, qvæ præter virtutes heroem proprie facientes, laudantur animi bona & Elysii gaudiis dignos reddunt possessores, sunt: pietas haud fucata, sancta fides, in jurejurando præsertim & promissis servandis religio, summa erga parentes pietas, ardens patriæ amor, alacerqve animus ad qvævis, carissima adeo, ejus devovenda saluti;